

7

DISPUTATIONUM POLITICARUM
UNDECIMA
De
Corruptionibus Rerum-
publicarum,
QUAM PRÆSIDE
M. MICHAELE VVENDELERO P.P.
publicè proponit
CHRISTIANUS Zentsch / Poloniensis
Ungarus.
ad diem 7. Maji hor. matutin.
in Auditorio majori.

WITTEBERGÆ
Ex Officinâ Typogr. MICHAELIS WENDT ANNO 1642.

a. CXXXI. 41.

Coll. diss. A
131, 41

DISPENSATIONEN
CORRUPTIONIBUS RERUM

M. MICHAEL VANDERBILDER P.P.

CHRISTIANUS



Ex Officina Typogr. Michaelis in Jena Anno 1844

1844

Quâ de causâ medici duplicem Medicinæ partem faciunt, videlicet, quòd geminis mediis vel conseruemus sanitatem, vel amissam restituamus: eadem nos cogit, Politicam in duas partes tribuere, quarum una hæctenus absoluta, Rempub. ex partibus suis componere rectè docet: altera, cujus summam *Aristot. 5. Polit. cap. 1.* proponit, ad curandas vel prævertendas ejus corruptiones destinata est.

II. Est autem, sicut in Pathologiâ medicorum, ita & in hac parte Politicæ, primum curationis caput, corruptiones ipsas nosse. Proximum, ut causas multorum habeat cognititas. Denique cujus gratia hæc omnia proposita sunt, curandi methodus subnectenda.

III. Distinguendum autem nobis est inter naturalem declinationem seu defectum, & inter morbum Reipub. idque ductû medicorum, qui inter morbum & naturalem impotentiam omninò distinguere jubent. Hanc thesin benè accommodavit ad Rempub. *Polyb. lib. 6.* cujusque, ait, corporis & Reipub. auxesis quædam est secundum naturam, deinde vigor, postea rursus deminutio. Expressiùs *Livius lib. 2.* id unum venenum, ea labes civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia essent.

IV. Præterea verò alius Rebuspub. morbus accidit ante senium seu violentus, quando præter cursum ætatis vel omninò subvertitur, vel in aliam diversæ speciei mutatur, sive meliorilla sit, sive deterior. Ultramque enim mutationem vocat *Aristot. 2. de animâ c. 4.* sed illam perfectivam, hanc corruptivam. Subversionem Reipub. verò, quando aut unâ cum formâ gubernationis excinditur, aut in *ἀναρχίαν* degenerat.

V. Anarchiam vocat *Aristot. 5. Polit. cap. 3.* confusionem Reipub. in quâ imperantium & parentium discrimen sublatum est. Populus autem extinguitur, quando aut interficitur, sicut Severus, expugnatâ Byzanthinorum urbe soloque æquatâ, cives maximam partem delevit: aut quando in servitutem abducitur, sicut idem Severus reliquias Byzanthinorum vendidit, & Vespasianus ad servitia damnavit, quantum Judæorum excidio superfuit.

VI. Cæterum cum Camillus Vejos Romam duceret & urbem everteret, aut cum Scipio urbem Carthaginem incenderet, Respub. propterea non pessum iit, quia non est in parietibus Respublica, & Carthaginensibus erat Reipub. salus promissa, quam iis servari putabant Romani, licet urbe incensâ. Transplantari enim potest una Respub. in aliam, sicut Romani regiones devictas, & in provincias redactas suæ Reipub. tanquam partes inferebant. Hoc enim modo non in Anarchiam degenerat præsentis formæ corruptio, prout Syracusis contigit post mortem Dionis, aut in regno Fessæ, ubi post mortem Abusahitis per aliquot annos sine legibus vixerunt subditi; sed transit in unam ex veteris Reipub. formis.

VII. Unde *Bodinus 4. de Repub. c. 1.* sex Conversionum species facit, quod tres sint Reipub. primæ species, quarum singulæ in duas reliquas abire possunt. Nam quando Monarchiæ una species in aliam, & unaquæque Respub. εἰς τὴν ἐν ταῖς αὐταῖς γένηται mutatur, quemmodum tangit *Aristot. 5. Polit. p. 425.* non mutatur essentia Reipub. sed qualitas. Tota verò Reipub. essentia non tantum sex, sed duodecim modis convertitur. Trium enim simplicium Rerumpub. quælibet in duas
simplici-

simplices mutatur, utpote, Monarchia in Aristocratiam & Democratiam: Aristocratia in Monarchiam & Democratiam: Democratia in Monarchiam & Aristocratiam, & unaquæque harum præterea in Rempub. mistam, & hæc iterum in tres simplices converti potest. Unde in summâ duodecim colliguntur species mutationum Rerumpub. quarum causas porrò inquirere, & ordo Aristotelis & ratio curandi præcipit.

VIII. Aristoteles cum sciret, in doctrinâ causarum mutationum Rerumpub. non posse omnes occasiones ordine & brevibus verbis comprehendere, illas unico verbo indicasse contentus fuit, dum ait, etiam ex levissimis rebus sæpè conturbari, nec rarò funditus everti Rempub. solere: cujus rei exempla quàm plurima affert *5. Polit.* Inter cæteras causas nonnulli referunt providentiam divinam & fatum astrorumque cursum: item numeros & alia, quæ generalium causarum respectum habere videntur. Hinc de his primo loco agendum putavimus.

IX. Et de numeris quidem minus solliciti erimus, quòd res obscurissima sit, adèò ut & in proverbio de rebus obscuris numeros Platonicos usurpare soleamus: & quanquam Syrianus, Philo, Bessarion, Macrobius, Ficinus Platonem excusare nitantur, nunquam tamen numero vim efficiendi attribuent, quippe quem *Aristot. 13. & 14. Metaphys. & 5. Polit.* effectivâ virtute prorsus destitui demonstrat. Quantitas enim nullam habet efficaciam, & apud quosdam Metaphysicos dubium est, utrum numerus sit in quantitate & ens positivum: quod si verum est, multò minus vim agendi habebit.

X. Quod ad fatum attinet, quæstionem difficilior-

rem facit res & nominis varia interpretatio. Stoicorum fatum, quod sempiternam quandam & indeclinabilem rerum seriem vocant, meritò rejicimus, & cum *Aphrodisio in lib. de fato, Hermete, Plotino, Ficino in lib. de fato ad Alex. Pic. 4. contra Astrolog. c. 4.* per fatum intelligimus providentiam divinam. Qui enim hanc nomine fati intelligit, ait *Augustinus V. de civit. Dei cap. 1.* linguam mutet, sed mentem retineat. Definit autem providentiam divinam, *Damasc. c. 2. orth. fid. c. 29.* quòd sit *βέλησις θεῶν, δι' ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρὸς φύσιν διεξαγωγὴν λαμβάνει.* Boëtii definitio est, quòd sit divina ratio, in summo omnium principe Deo constituta, quæ cuncta disponat.

XI. Cùm igitur hæ definitiones declarent, Deum suâ providentiâ omnia gubernare, quis Christianorum negare velit, eundem res tanti momenti, quales sunt regna & Resp. maximè sibi commendatas habere, imprimis, qui legerit illud Samuelis: Deus regnum tuum tibi ademit, & in proximum contulit, qui te longè est melior, *1. Samuel. 15.* aut quod Salomoni dictum fuit: *1. Reg. 11.* quia non servasti pactum meum, scindam regnum tuum, & servo tuo dabo. Quin & Paulus ait: Omnis potestas est à Deo: & Christus ipse ad Pilatum: Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de super à patre meo.

XII. Imò Ethnicis hoc non fuit prorsus ignotum. Num M. Antonius ad Verrem collegam scripsit de Cassio: Si divinitus ipsi debetur imperium, non poterimus ipsum interficere, etiam si velimus. Scis enim proavi tui dictum: *Successorem suum nullus occidit:* quâ voce jam antea T. Vespasianum usum *Tranquillus in ejus vitâ* refert, dum insidiatores suos admoneret: desisterent deci-

deci-

decipulis agere, si fato ipsis deberetur imperium, se iis
adjumento futurum.

XIII. Hinc proficiscuntur vaticinia Prophetarum
de futuris regnis, & quæ idem portenderunt, ostenta
plurima. Nimis meherculè & præter rem prolixus es-
sem, si omnia congerere signa & ostenta vellem, quæ
Perdiccæ, Cyro, Dario, Alexandro M. Julio Cæsari,
Augusto, Diocletiano, Martiano, Theodosio, Lecho,
Zecho, Odoacro & infinitis aliis futuros honores præ-
dixerunt. Solet enim Deus sæpè etiam ex Bileami ore
veritatem prædicare, sicut Nigidius Figulus, cum Au-
gustus natus esset, Dominum orbis natum exclama-
vit.

XIV. Hanc igitur mutationum causam primam,
licet accuratissimè non pertractet Politicus, ubique ta-
men præsupponit, tanquam à Theologo luculentius
explicatam, cujus hæ sunt partes primariae. Politicus
enim non potest, nisi ex suâ arte causas assignare, nisi sal-
tum facere & terminos suos transgredi velit.

XV. Inveniuntur non pauci, qui Astrologiæ nimis
dediti ex positû stellarum omnes mutationes Rerump.
derivant, cujus sententiæ & Prudentius fuisse convinci-
tur ex his versibus,

————— *urbibus affert*

Hora diesque suum, cum primum mœnia surgunt,

Aut fatum aut genium, cujus moderamine regnent.

Non ita quidem omnem oportet nos Astrologiam reji-
cere, sicut omnes Mathematicos & Magos per S. C. tum
Italia pulsos memorat; Tacitus 2. Annal. sed hoc absur-
dum est, quòd ex urbis fortunâ Reipub. casus æstiment,
quasi non possit tota urbs interire & absumi, vel undis
vel ignibus, Reipub. interim salvâ manente.

16. Alii

XVI. Alii ad conjunctiones magnas superiorum Planetarum mutationes Rempubl. referunt, ut *Petrus de Alliaco*. & fortasse etiam *Peucerus*, qui in lib. de divin. spatio quingentorum annorum Respubl. plerunque convelli scribit, cum tamen multæ terminum supergressæ fuerint, nonnullæ verò citius pessimi erint, & veluti in herbâ perierint. Conjunctiones verò magnæ, licet *Ptolomæo* eluviones, pestes & alia magna mala producant, non tamen semper novas Respubl. secum ferre, aut veteres demoliri deprehenduntur.

XVII. *Copernicus* ad revolutionum Eccentrici terræ ortus & interitus Rerumpubl. revocat. Sed constat ex hypothesi *Copernici* motum illum regularem esse & certum; Rerumpubl. verò conversiones adeò incertæ sunt, ut multas, priusquam ferè caput extulerint, ad principia redire videamus.

XVIII. *Cardanus* adhuc aliam causam ortus magnorum imperiorum ex astris affert, videlicet, quibus extrema stella in caudâ *Helices*, Sole meridianum tenente, verticulis fuerit, iis magnum imperium portendi, qualiter dispositam stellam hanc fuisse putat erga prima initia *Romæ*. Refutat exemplum hoc rectè *Bodinus*: nobis sufficit ex *Cardano* quærere, si stella sic posita imperium promittit, quare multis aliis populis, quibus ab eo non tantum verticulis, sed & perpendicularis extitit, in primis septentrionalibus, tantum imperium non dederint?

XIX. Abi *Cometis* mutationes Rerumpubl. ascribunt, ut *Mizaldus* lib. 2. *Cometogra*; sed quidquid sit de præfagio *Cometæ*, id tantum dico, non posse à *Cometis* certas Rerumpubl. causas accersi, cum frequenter conspiciantur *Cometæ*; Respubl. verò toties non
inter

intereant, nec renascantur. De Eclipsibus idem esto
judicium. Hæ cum causas habeant regulares & natura-
les, non est, ut in rebus agendis ab iis nos impediri si-
namus.

XX. Quid igitur de astrorum inclinatione dicemus,
cum in voluntates hominum, unde corruptiones Re-
rumpubl. originem ducunt, non sint efficacia, & si quic-
quam efficiant, à sapiente tamen præverti aut impediri
possint, cum sapiens dominetur astris? nimirum sicut
Cassius, cum à Chaldæo vetaretur Parthos bello lace-
sere, priusquam Sol Scorpii sidus evasisset: non, inquit,
Scorpiones metuo, sed sagittarios, ostendens, causa-
rum proximarum sibi rationem habendam, & non re-
motarum, quibus proximæ modum imponunt; ita
Politico non astrorum cursus respiciendi sunt prima-
riò, sed, quæ ex suâ disciplinâ derivantur, causæ pro-
ximæ.

XXI. Ut igitur ad causas proximæ & Politicas,
quæ sunt hujus loci, descendamus, sciendum est ex *Ari-
stotele s. Polit.* duplices eas esse, externas & internas. De
internis ductû Aristotelis agemus prius. Triplici autem
modo ex internis causis corrumpuntur Respub. vel per
vim, vel per fallaciam, quos duos modos ponit *Aristo-
teles s. Polit.* vel denique sponte & cum gratiâ tum im-
perantium, tum parentium. Id quod fit uno modo per
deditionem, quando Campani à Samnitibus in angu-
stum coacti in Romanorum fidem & civitatem se reci-
piunt; cujus deditionis duo illustria exempla apud Li-
vium habentur, Campanorum *lib. 7.* & Collatinorum
lib. 1.

XXII. Aliter per indulgentiam eorum, qui Rei-
publ. potestatem in manû habent; quod tamen rarò

B

ad-

admodum accidere *Aristot. 4. Polit.* credit. Nihil enim est dulcius, quàm imperare. Multi quidem regum, aut principum, vel propter metum, vel propter onus imperii, vel ut religiosiorem vitam capefferent, vel etiam defessi ab imperiis abierunt; sed quia Respubl. non mutarunt, ad hunc locum minimè quadrant. Nec in Monarchiis ea mutatio tantùm locum habuit, sed etiam in aliis Rerumpubl. formis. Nam Mitylenæorum Democratia in Monarchiam mutata fuit, cùm Pyttaco Aesymnetæ summam omnium rerum committerent, *Aristot. 3. Polit.* & Venetorum in Aristocratiam, cùm Tribunis, mox in Monarchiam, cùm Duci Rempub. in manum traderent.

XXIII. Nonnunquam cum indulgentiâ Principum concurrit error eorum & Sophisma subditorum, idque potissimum, ubi electio invaluit, vel pura, vel cum successione temperata. Qui enim ita ad principatus deveniunt, priusquam eos sibi elaborent, vel ut eos in stirpe suâ propagent, quàm multum de jure suo remittere coguntur, ne ambitû & spe suâ excidant; nec cogitant interim, quòd hâc viâ interdum seipos, sed successores sine dubio solidâ potestate privent, prout in Lacedæmoniorum, Germanorum, Venetorum & Polonorum Rebuspubl. clarè videre est.

XXIV. Per fallaciam putat Aristoteles mutari Respub. quando vulgo, vel universo populo tam callidè imponitur, ut, quod fit, fieri non sentiat; quam fallaciam *Aristot. 4. 5. Polit.* vocat *σέψισμα*; & Tacitus arcana imperii. Platonis enim & Xenophontis dictum est: Magistratibus non aliter, quàm medicis erga pueros & ægrotos, interdum mentiri licere, quem dolum, si ad!

si ad bonum, finem dirigatur, bonum Juri vocant, si
verò ad malum, fallaciam hinc nominamus.

XXV. Denique nascitur in medio Reip. malum,
quod etiam optimæ Resp. persenserunt, nimirum sedi-
tio, certum interituræ Reipub. argumentum, aut à se-
ipsâ, aut per vim externam supervenientem. Dum e-
nim Ancini & Ardeates de agro rixantur, populus Ro-
manus eum sibi adjudicat. Ita licet dissensio ipsa ci-
vium Reipub. mortem non afferat, aperit tamen viam
eam occupandi potentioribus Principibus, qui in eum
finem inimicitias inter potentiores Respub. ferere &
alere solent, donec mutuis discordiis attritas vires sine
negocio occupent, ut docet *Aristot. 5. Polit.*

XXVI. Causæ autem, quare potissimum lites mo-
vere soleant optimates, ab Aristotele referuntur: Pri-
mum exclusio nobilium a magistratibus, ad quos æ-
qualiter, utpote qui se æquales putant, admitti volunt.
*Μόνον γὰρ μόνιμον, ait Aristot. 5. Polit. τὸ κατ' ἀξίαν ἴσον, καὶ
τὸ ἔχειν τὰ αὐτῶν.* Nam Istrorum status prorsus popu-
laris per contentiones optimatum factus est, sicut &
Cnidiorum, quorum patritiorum illi, qui excludeban-
tur, applicuerunt se plebi, & Aristocratiam ejus ope e-
verterunt, ut refert Aristoteles. Deinde commoven-
tur contra se optimates per adultores, qualis fuit Cha-
ricles inter 30. & Phrynicus inter 400. Tyrannos Athe-
nensium. Auget enim animum adulatio. Peccatum
in hac parte est à L. Flacco, qui jussit omnia Syllæ rata
esse.

XXVII. Cùm igitur discordia tam sit Rebuspubl.
noxia, ejus porrò causas inquiremus, quarum undecim
Aristot. 5. Polit. in genere recenset, ordine nobis quoque
explicandas, simulque ad status singulos in specie ac-

commodandas. Primo loco nominat Aristoteles honorem nimium, uni aut pluribus exhibitum, & reliquis denegatum, qui propterea ad invidiam commoventur, mox æmulantur, & odium concipiunt, denique apertis fraudibus insectantur. Quò facit, quod *Aristoteles* dixerat 3. *Polit. cap. 7.* Cùm multitudo inopum ab honoribus exclusa est, eam Rempubl. oportet esse plenam hostium. Cùm enim omnibus infideat hæc opinio, æqualia tribuenda esse æqualibus, atque ex naturæ ductû didicerint, quod *Aristot.* tradit 3. *Polit. cap. 3.* 6. *Polit. c. 2.* 5. *Polit. cap. 2.* non conservari civitatem, nisi æqualitate, non nihil causæ videntur habere, quare honoratissimis quibusq; detractum cupiant, imprimis, cùm ea sit summi honoris natura, ut invidiam comitem habeat.

XXVIII. Eadem invidia secundam quoque causam continet, sed ex alio fundamento derivata, videlicet à divitiis, quæ perinde oculos hominum perstringunt, ut honores. Nam, ut ait Seneca, facilius est pauperi contemptum effugere, quàm diviti invidiam. Nec facilè pauperes alieni æquis oculis opulentam intuentur fortunam.

XXIX. Tertia causa Aristoteli est *ὑπερβολή*, quæ Rebuspubl. minitatur interitum, non tantùm, quòd potentiæ nimiae invideatur, sed quia nimia potentia liberis Rebuspubl. suspecta esse solet, imò & Monarchicis. Nec enim hæc viâ tantùm Syracusæ occupatæ fuerunt ab Agathocle, aut Cyprus ab Evagorâ, Athenæ à Pisistrato, Verona à Scaligero, Mediolanum à Sfortiâ, sed & multis Monarchis imperium ereptum, aut saltem maximis motibus agitatum fuit. Omnes enim hi Imperatoribus arma intentârunt, aut etiam intulerunt, quòd ab eisdem nimiam potentiâ armati prius fuerant. Et vix le-
gun

guntur postremi Imperatores aliâ viâ de imperio præcipitati, quàm per nimiam potentiam ducum exercitûs.

XXX. Affinis huic causa est, quam Aristoteles septimo loco numerat, & *αὐξήσις* vocat. Sicut enim inter membra corporis humani monstrum nascitur, si unum eorum in quantitate proportionem, quam ad cætera habere debebat, exuperet: ita si in Republ. quam humano corpori benè comparabat Menenius Agrippa apud Livium lib. 2. pars una multitudine reliquas omnes transcendat, non tantùm ordo, qui est forma Reipubl. violatur, sed & pars, quæ superat, alteram facilè sibi subicere, & Remp. suam facere potest.

XXXI. Addit Aristoteles, quo tempore hæc causa frequentius in Rebuspubl. inveniatur, quando videlicet casû quodam, inprimis belli, altera pars infringitur & decrescit, sicut Tarenti, cùm nobilium plurimi ab Japygibus extincti essent, populus Reipubl. ad se transtulit: Athenis, cùm nobiles pugna terrestri perisissent, res ad populum delapsa est: & Argivorum Reipubl. occupârunt *πίρρονος*, cùm civitas à Cleomene Lacedæm. exhausta esset. Plebs quoque Romana incrementa sumere cepit, postquam tercentum Fabii unâ die ceciderant.

XXXII. Quinta causa apud Aristot. est metus seu desperatio, quando quis sibi magnum aliquod malum metuit, occasionemque effugiendi desperat. Tum enim nihil non moliturus videtur, etiamsi Tartara coelo miscenda sciat, ut impendens infortunium aliquâ saltem viâ declinet. Qui enim in tali casû constituti sunt, nullum putant bellum justius esse, quàm quod necessitas suggerit. Propterea Scipio, cùm Numantinos præ-

desperatione obstinatè nimium mortem appetituros prævideret, noluit etiam cum flagitantibus pugnam committere, quia, inquit, cum desperatis pugnandum non est. *Florus lib. 2. cap. 18.*

XXXIII. Ex quo fundamento dependet præceptum Pyrrhi, relatum à *Julio Frontin. lib. 2. stratag. cap. 6.* non esse pertinaciter instandum hosti fugienti, ne fortius ex necessitate resistere incipiat. Clausis enim, ait *Veget. lib. 3 de re militari c. 21.* ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido. Quo præcepto usi sunt multi probati duces. Antigonus Rex Macedoniae Aetolos ex obsidione, Cæsar Germanicos ex acie suâ, cui inclusi erant, & Hannibal eosdem vel Romanos ipsos ad Thrasymenum fugere permisit, ne obstinatiùs ad pugnam coacti victori palmam præriperent.

XXXIV. Sexta causa est *καταφρόνους* seu contemptus, qui potest corruptionis Rerum pub. causa esse, tum respectû Imperantium, tum respectû Parentium, quem utrumque modum paucis complexus est Aristoteles. Et utroque modo dupliciter. Vel enim eum invadunt cæteri, quem contemnunt: vel qui contemnitur, cæteros. Utriusque probabiles sunt rationes. Si enim *Curtius lib. 8.* rectè dixit: Majestatem imperii salutis esse tutelam, è contrario argumentando, oportet contemptum ejus esse perniciem: cui Plinius consentit in *Panæg.* Nunquam nisi ex contemptû imperii nostri factum est, ut vinceremur. Duas facit *Aristot. 5 Polit.* interitus Tyrannidum causas: odium & contemptum. Et de odio *Cicero 2. de offic.* loquitur: nulla vis imperii tanta est, quæ premente metû possit esse diuturna. Nihilominus odium contemnebat Caligula, dummodo

do

do contemptus non accederet: *Oderit*, inquit, *dum metuant*. *Suet. in Calig.* Putabat enim odium suffocari posse, modo contemptu non armetur, ita, ut auderet aliquid, & se manifestare in effectu possit.

XXXV. Ut autem ex stirpe contemptum excidere possimus, longius progrediendum est, minutioresque & priores contemptus causas inquirendæ, quarum primam facimus, neglectum rerum publicarum. Qui enim alios contemnit, ab iisdem merito contemnitur. Eâ ratione scribit *Aristot. 5. Polit. cap. 10.* Sardanapalum perisse, cujus interitum ex hac causâ refert *Justin. lib. 1.* Francorum Rex Chilpericus eadem de causâ regno excidit, quod ejus administrationi non sufficeret. Nihil enim interest, siue propter malitiam, siue propter impotentiam officium negligas.

XXXVI. Alterum locum merito debemus pravis moribus & vitiis, quæ naturaliter odisse & despectui habere solemus, nedum in Principe, qui

————— *tantò conspectius in se*

Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

Ἀπολαυστῶς ζῶντες, Aristot. 5. Polit. ἐγκαταφρόνητοι γίνονται, & multas oportunitates præbent insidiantibus. Dion Dionysium ausus fuit armis impetere, quem ebriû quotidiè intelligeret, *5. Polit. c. 10.* & Seuthes Thrax Amadoco, & Cytus Aslyagi bellum intulit, quod uterque otio difflueret, & copias desides haberet. Quomodo Phocam riserit populus ob ebrietatem, refert *Zonar. in Phoca.* Cùm enim serò in theatrum venisset, eunti occlamatum est: *rursum bibisti, rursum mentem amisti.*

XXXVII. Quin & leviora sæpe vitia, & quæ sapiens minimè moraretur, contemptui ansam præbent in animis

obom

mis vulgi. Scimus enim homines, ut metuant, aut ode-
rint, non minus opinione & famâ, quàm certâ aliquâ
ratione moveri. Parum aberat, quin Agefilaus, quod
claudicaret, propterea à regno exulare cogeretur. Ma-
rius apud Salustium conqueritur novitatem suam con-
temni. Sertorius Pompejum contempsit ob pueritiam,
illi que virgas minitatus est.

XXXVIII. Præterea adversa fortuna, paupertas &
cætera ejus generis imprimunt animis vulgi vilem
quandam de Principibus opinionem. *Prosperis tuis re-
bus, ait Tacitus 2. histori. certaturi ob obsequium, fortunam
adversam omnes ex aequo detrectabunt.* Laxa denique di-
sciplina & nimia familiaritas facit ingenia luxuriare,
nec satis decoro in pretio principem habere.

XXXIX. Alio modo contemptus ad mutationem
Reipub. facere potest, quando qui contemnuntur, præ
dolore contra assurgunt, & vindictam quærunt. Nihil n.
est, quod ingenuum animum vehementiùs urat, quàm
contemni, aut conviciis præscindi ab alio. Hinc *Tacitus
V. Annal.* scribit: acerbarum facetiarum apud præpo-
tentes longa memoria est. Jocati erant Antiocheni
in Caracellam, matrem ejus Jocastam vocitantes: sed
is ad spectaculum congregatos, ad unum omnes inter-
fecit. *Herod. in Carac.* Rarè enim ad eò patientis inge-
nii sunt Principes, atque Augustus, qui Timaginem hi-
storicum quidvis de se scribere impunè passus est.

XL. Peculiariter hæc causa locum habet in Aristoc-
ratiâ, ut & illa, quæ sequitur, quia peculiare est opti-
matibus, ut plebem premant, & præ se contemnant, cu-
jus in Democratiâ nullum est periculum. Hinc fit, ut, quæ
in contemptu perpetuo vivere se videt plebs, facilè et-
iam cujusvis hominis vocibus contra nobiles patia-
tur se commoveri, sicut plebs Romana, arctiùs quodam-
modo

modo & contentius à patribus habitâ, vel Sicionio duce & autore in sacrum montem abscessit. Quando enim animi jam ad seditio- nem spectant, facile est, vel proletario homini, ducem se præbere.

XL I. Paullò durior contemptus est Contumelia, cùm sit gra- vis injuria, vel in corpus, vel in bona subditorum. Utrumque Monarchis familiare esse scribit *Aristot. 5. Polit.* Si enim contem- tus tam crebrò ad vindictam extimulat homines tantò ad hanc rem gravior erit contumelia, quantò plus doloris infert, quàm contemptus. Nec verò privatim tantùm, qui injuriam perpessi sunt, eam ulciscuntur, sed sæpè indignatio pervadit universos, vel quòd injuriis aliorum naturaliter condoleamus, Tyrannorumque crudelitati irascamur, vel quòd ab amicis commoveamur, vel quia, quod uni nostrum fieri videmus, singuli nobis timere habea- mus. *Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.*

Injuria enim parentum ad liberos pertinet, dominorum ad servos, foeminarum ad maritos: sed & stupra Tyrannorum & libidino- forum hominum multoties publicitùs punita legimus.

XLII. Quòd si ulterius progredi aliosq; contumeliæ gradus con- siderare velimus, inveniemus nihil ad evertendas Resp. efficacius esse, quàm sævitiam & crudelitatem. Pessimus enim diuturnitatis cu- stos est metus, quem crudelitas gignit. Altera verò injuria quæ bó- nis infertur, non minus habet pondus ad mutandas Resp. quàm sæ- vitia in corpus, cùm sanguis mortalium sit pecunia. Baldus hinc ra- tiocinatur, majorem pœnam esse privationem omnium bonorum, quàm mortis, ubi mors est solatium illi, qui opes perdiderat.

XLIII. Quod quia eatenus verum est, ut omnibus rebus exuto ad vitam nihil sit solatii, non est mirum, si ex severâ tributorum ex- actione seditioes plurimæ oriuntur, imprimis quia & hoc verum est, quòd multi mortales bonis animæ anteponant bona corporis. Si exempla placet intueri, vix ex ullâ aliâ causâ sæpius quassatas aut mutatas Respub. comperiemus, quàm ex hâc, quando cum Cice- rone 5. ad Att. epist. 16. subditi conquerentur: *Audimus nihil aliud, nisi imperata Πικροτάλα non posse: omnes possessiones omnium ven- ditas, civitatum gemitus, ploratus: mensura quedam non hominis, sed fera nescio cujus immanis.*

XLIV. Nec nullam istius seditiois causam videntur habere sub- diti, quando quidem se lanam quidem, sed non sanguinem debere

Principes sciunt, sicut Tiberius, cum increparet præfectum Ægypti, quod severius tributa exegisset: *Tondere, inquit, oves meas, non deglubi volo; & nota est vox Alexandri: Hortulanum odi, qui ex radice olera excindit.* Diximus supra, quod Dominis in suos subditos plus liceat, quam regibus. Atqui Corinthiorum Tyrannus Periander solis fori & portuum tributis contentus fuit, tributum non imperavit. Turcam, quamvis sit Dominus suorum subditorum, nihil tamen ex censu subditorum ad res suas conferre, autor est *Menayin. lib. 3. cap. 20.* quod putet Majestate indignum esse, subditorum sudores devorare.

XLV. Quis igitur Pescennino non irasceretur, qui etiam aërem censeri voluit? Quis non detestetur Cephalationem Leonis Isaurii, Chrysargyrum Constantini & Ἰπιβολὴν Justiniani? Hippias Atheniensis pro quolibet mortuo vel nato cive mensuram unam hordei, alteram tritici cum uno obulo poposcit. Frotho I V. Rex Danorum pro quolibet membro cubitali tributum pendere coegit. *Saxo Grammat. lib. 6.* Theodosius censuit etiam vestem, quæ pudenda tegebat. *Zosim. in Theod.* Non est igitur mirum, si ad extremam inopiam adacti cives hisce tributorum crebris & duplicatis impositionibus ex servitute se liberare, & res novas moliri cupiant.

XLVI. Octava causa est ἐρηθία, quam vulgariter coitionem humilium interpretantur, quia ἐρηθοί vocantur Hesiodo & Homero humiles & abjecti homines, qui agros colunt, aut telas ex lanâ texunt. Cæterum quia facilius Remp. evertunt conspirationes magnatum & potentum, quam abjectorum hominum, quare has Arist. non velit exclusas? Nam quia & facultate & occasione destituuntur, conjurationem in actum producere, tantum non impossibile videtur, aut certe cum certissimo discrimine vitæ perpetrandum est, sicut & neminem eorum mortem evasisse videmus.

Nona causa est ὀλιγωρία, quando per incuriam Resp. datur administranda iis, quibus præsens status jam dividia est & odio, sicut Heracleodorus, Aristocratia infensus, cum ex dominantium numero factus esset, Oreo, Eubææ urbe, Democratiam instituit: & Lycurgus, cum Remp. utpote regius tutor, in manum haberet, etiam potestatem regiam oderat, ejus tantum non nomen non abolevit. *Plutarchus in Lycurgo.*

XLVIIII. Decimam causam vocat Aristot. τὸ ἀγαθὸν ἐν ἑαυτῷ, eamque

que:

que sic explicat *5. Polit.* quando propter parvam differentiam nihil interesse putamus, id est, quando putamus, hoc concessio, nihil decessurum Reip. Sed ut ait *Livius lib. 7.* quamvis parva sint hæc, tamen parva hæc non contemnenda, majores nostri maximam hanc rem fecerunt. Pisistratus cerè ea ratione Tyrannidem occupavit, quòd pro defensione contra optimates parvam manum satellitum à Reipub. exorasset, cujus auxilio sensim Tyrannus evasit. Eodem fucò illinebat Pericles Athenienses, quòd se curatorem tantum diceret, ne Princeps esse intelligeretur. *Thucyd. lib. 2.*

X L I X. Atque hoc est, quod Aristoteles dicit, Ambraciæ parvum ab initio fuisse censum, quem cum non curarent cives, factum est, ut nullus post modum observaretur. Ut enim in vitâ privatâ; sic & in Reipub. desidia & socordia quotidiana, non in singulis statim, ut quicquam est neglectum, sed in summâ rerum apparet. Ita exhaustum est imperium, dum nunc agellus, nunc ædicula, nunc pagus, nunc aliud quoddam cœnobiis & religioni donabatur.

L. Habet autem hæc causa potissimum locum in Democratia; idq; accidit propter imperitiam & mobilitatem vulgi. Dum enim in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur. Plebs verò utpotè omnium rerum dubia & imprudens, nunquam in unâ re quâpiam certò quiescere novit, sed semper

scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Undè fit, ut facilè patiatur se auribus duci vulgus, quoniam multitudinalis est, qualis habet duces & Consiliarios, in primis si lenocinia orationis accesserint.

L I. Duplici autem viâ Demagogi afferunt interitum Rebusp. vel quando populo adulantes, ejusq; res nimis dilatare cupientes, nobilibus occasionem præbent, contra plebem consilia ineundi: vel quando ipsam plebem contra patritios armant & exstimulant. Prior modus frequens est, ubi plebs confert magistratus. Tum enim nobilium nonnulli, quibus ad Magistratum aliàs non multum spei est, populo se submitunt, prensando supplicandoque, ut aliquos sibi honores eblandiantur. Ita pessum iit Democratia Heracleensium, Megarensium & Cumanorum, cum ab assentatoribus ejecti nobiles, re collectâ manû, Reipub. occupârunt. Alio modo plebs ipsa patritiis eripit Reipub. instimulata ab assentatoribus. Tales fuerunt apud Athenienses Cleon, apud Romanos Sicinius, Icilius & alii.

52. Un-

LII. Undecima causa est dissimilitudo hominum in Repub. quæ frequenter inducitur, quando peregrinorum multi recipiuntur, & in primis, vel civibus æquantur, vel etiam præponuntur. Accommodat *Aristot. 5. Polit.* hanc causam ad Tyrannidem, quòd Tyranni, utpotè civibus parum fidentes, facilè extraneos civibus ascribant: optimates verò, cum pauci numero sint, si discordia ipsis incidat cum plebe, cogantur ad externa auxilia confugere, quæ pluribus Rebuspubl. exitiosa fuisse compertum est.

LIII. Infinita sunt exempla everfarum vel occupatarum Re-rumpubl. à mercenariis & peregrinis militibus. Gothi, quos Arcadius diu pro auxiliis foverat, postquam Stiliconis machinis defecerant, imperium occidentale occuparunt. *Zonar. in Arcadium & Honor.* Turcæ eripuerunt Palæologis imperium occidentale, à quibus evocati erant in auxilium contra tumultuantes nobiles. *Gregor. in histor.* Ita Britanni Saxonas Anglos deduxerunt in Britanniam contra Pictones, & ab iis regno exuti sunt. Propterea rectè dixit *Machiavellus lib. 2. disc. 20.* *Neque Principes, neque Respub. sine periculo uti posse auxiliario & mercenario milite: idque non tantum in bello, sed in pace, quando optimates sibi minus fidentes, aliorum Principum arbitrio & fidei se concedunt.*

LIV. Addam adhuc unam causam, videlicet mutationem religionis. Nihil enim, dicente *Cramer. lib. 2. Inst. Polon.* æquè valet ad moderandas stabiliendasque Respub. & ad religandos animos hominum, semper ad superstitionem mobiles, quàm religio. Quod cum sciret Numa omnium primum, teste *Livio lib. 1.* Deorum metum injiciendum ratus est, utque sancita ejus plus auctoritatis haberent, à Nympha finxit proficisci, sicut & Minos & Lycurgus, & Seleucus Locrensis & multi alii. Nec apud Romanos tantum, aliæve meliorum temporum gentes, tanta vis superstitionis fuit, sed etiamnum pondus habet apud nos, tam qui

Christo nomen dedimus, quàm qui Ethnicorum tenebras

sequuntur. Vix hodie invenias ullum bellum,

ullam seditionem, cui non religio

prætetur.

Collidiss. A. 131, misc: 47